

J. N. J.

DE

VOLUNTATE

HUMANA

DISPUTATIO PHYSICA,

^{Quam,}

Divina Providentia

Sic

Disponente,

Suffragio Ampliss. Collegii Philosophici, in Regia Universitate Aboënsi,
Sub moderamine

VIRI CELEBERRIMI

Mag. PETRI HAHN,

Scient. Natur. Prof. Ord. & Acad. Biblioth.

PRO GRADU MAGISTERII,

*Solemni eruditorum examini
modeste submittit,*

NICOLAUS L. BRUZELIUS,

*In Auditorio Majori Die 5. Martis
iuni currentis M. DCC.*

Excidit JOHAN. Winter /
Reg. Typogr.



Nima Huma-

na, cum sit sub-
stantia creata, suis
non destituta est
qualitatibus ne-

mini proinde sobriè Philosophant̄
sine iis consideranda est ; sunt e-
tiam illæ in hominē proximum
operationum omnium principium.
Si namque operaretur homo, ratione
pura essentia, etiam existeret ratio-
ne ejusdem ; D. Meish. in sua Phil.
Sob. qualis operatio & esse, est
essentiæ summè singularis, utpote
Dei : cuius voluntas & voli-
tio, adæquatè loquendo, ab es-
sentiæ nullam inferunt differentiam

realem, sed identificantur ipsi. Mejerus in sua Pneumatica. Nec quædam operationes essentiæ, quædam verò facultatibus adscribuntur, sed omnes ab his, non ab illa proximè & immediate proveniunt. Quemadmodum ignis, sine calore non calefacit, aqua sine humiditate non humectat; ita homini inferior facultas non est concessa, qui per voluntatem vult & per intellectum intelligit.

§. II.

Proinde ita definitur: *Voluntas est facultas animæ rationalis, ad bonum appetendum & malum fugendum ordinata.* Hæc descriptio nobis indicio est, principium volendi proximum, non esse ipsam animæ humanæ essentiam, sed potentiam ab illa realiter distinctam. Non igitur est voluntas idem cum appetitu naturali, qui in plantis aliisque

aliisque corporibus inanimatis datur, in illis enim est anima vegetativa, in his autem aliud principium internum, quod etiam Veteribus Philosophis forma dicitur, in utrisque tamen est appetitus naturalis. Nec etiam est appetitus sensitivus, licet ille hominibus cum Brutis sic communis, quoad cibum & potum, aliaque sensuum objecta; Sed est rationalis, quo homo prævia intellectus cognitione in obiectum fertur, maximeque voluntati convenit. Licerque admiranda sati polleant Bruta naturæ efficacia, & in quibusdam, humanam fere exsuperare videantur sagacitatem, neutiquam tamen eo possumus adduci, ut eandem ex principio aliquo rationali & voluntario profuere existimemus, sic namque libertate etiam (uti Plutarchus facit in dissertatione de solertia animalium) in agendo gauderent, quod veritati apertissimè contrarium.

§. III.

Ex immediata voluntatis cum intellectu coniunctione, occupatur voluntas circa omne Ens; nam aliter ac sensitivæ potentiaz *objectionum* est omne sensibile: ita tamen ut ad minimum radicaliter sit præcognitum: Voluntas enim cum sit potentia cœca, objecti bonitas ab intellectu debet esse præcognita, & voluntas in exercitio ab intellectu quasi dependet, unde illud communè: *Nihil volitum, quin prius fuerit cognitum*. Et ignoui nulla cupido. Quod tamen ita restringitur, ut eius formale sit Bonum vel revera vel apparenter; Licet malum revera tale nonnunquam, iinstar boni cuiusdam, adeoque & formaliter bonum *Φαινόμενως* tale apprehendat: immo omne bonum posset movere voluntatem, ob sui convenientiam, non tamen omne quod voluntatem nostram movet, vere est bonum; Verum haud raro sub specie boni

boni sese insinuat menti nostræ,
 quod in se vere malum: in quod
 voluntas fertur, quæ licet malum
 qua malum yelle nescia, appetit ta-
 men malum sub schemate boni.
 Calovius in suis scriptis Phil. hâc
 ratione, non semper Vera bona
 vult & lectatur voluntas, sed sæ-
 penumerò à recto abducitur tra-
 mite, vel (α) propter intellectus
 humani imbecillitatem, quo seducto,
 sequitur voluntas (β) indulgentiam
 appetitus sensitivi & affectuum.
 Hinc Medea ovidiana lib. 9. Meta-
 morphos. *Vides meliora proboque,*
deteriora sequor. Et libidinosus
 Ganeo apud Ter. *Sciens, vivus vi-*
densque pereo; adeoque verum illud
 Plauti: *Credo ego amorem apud o-*
mnes homines carnificinam commen-
tum: ita me amer lapsum animi lu-
dificat, fugat, agit, appetit, raptat,
retinet, jacat, targitur: *Quod dat,*
non dat: deludit: modo quod suavit
dissuadet: quod dissuast id ostentat.

Unde evenit ut mala appetamus & peragamus, decepti rerum speciebus, semper quamvis intellectus invadat quod bonum est, non tamen semper voluntati persuadet, quæ affectibus obnoxia, eligit apparen-ter bonum. Est hoc, aliud bonum per essentiam, ut Deus ; quomodo neminem bonum nisi unum Deum, sospitator noster asserit , Matth. 19: 17. Aliud per participationem , ut creature & arte facta , quæ boni-tatem suam ab alio acceperunt. Atque hoc iterum vel *Naturale* est, convenientia entis naturalis , cum regula naturæ secundum id, quod naturaliter est , aut operari potest ; *Morale* & *artificiale* ; quibus tamen omissis , tendit voluntas nostra cum primis ad id quod per essentiam bonum est. Non satiari potest tem-porali bono, non expleri bona cre-ato ; sed ad increatum & infinitum trahitur.

§. IV.

Sed bono opponitur Malum, quod illius est privatio nempè corruptio Voluntatis; opponiturq; bono privative; cum mali natura nulla sit, bonique amissio , mali acceperit nomen , dicente Augustino : cum nihil nisi boni sit indigentia ; cumque pravitas non subsistat, neque essentiam ejus substantem producere possimus juxta Basilium. Malum in totuplici fere differentia atque bonum est. Verum quia malum in numero est privantium; privantiaque non sunt per se intelligibilia aut scibilia, sequitur ultro, illud non esse voluntatis objectum , *prosecutionis*, sed *aversationis*, communi philosophantium sententiâ. Cum nihil uspiam natura ambitu suo includat, qvod appetat interitum ; uti n. Ens omne, concupiscit conservationem sui , ita fugit illa , quæ destruere & corrumperem possunt, videlicet mala & no-

xia; qualia cum appetitu nullam
 habent convenientiam nec moveri
 di potentiam. Voluntas cum sit
 appetitus, & quidem rationalis.
 Omnis autem appetitus, nihil aliud
 est quam quedam inclinatio appe-
 tentis in aliquid: nihil autem in-
 clinatur nisi in aliquid simile &
 conveniens. Cum igitur omnis res
 in quantum est ens & substantia, sit
 quoddam bonum, necesse est ut o-
 mnis inclinatio sit in bonum. Et quid-
 quid voluntati seu appetitui non
 est simile aut conveniens, ad mi-
 nimum apparenter in illud non fer-
 tur: Sed malum tamquam malum
 & sub ratione mali, non est ap-
 petitui conveniens aut simile. Eo
 voluntas non fertur in malum tam-
 quam malum. Ad. R. Wan. in
 sua Phil. Morali. Hinc non valet
 (a.) appetitum voluptate duci, er-
 go in malum. Cum malum re-
 bonum sit apparenter; itaque sub
 bono appetitur, non sub mali spe-
 cie

cie. *Mala interdum, teste Seneca;*
 Epist. 120. *speciem honesti obtulerunt,* & optimum ex contrario ni-
 tuit. Sunt n. ut scis, *virtutibus*
vitia confinia, & perditis quoque
 ac turpisbus recti similitudo est.
 Ferri quidem non est negandum,
 sed tanquam ad res bonas, sub
 ratione jucunditatis & utilitatis.
 Nec ($\beta.$) voluntatem, non esse
 entium in actu existentium tan-
 tum, verum non entium & futu-
 rorum. Et consequenter non so-
 lum bonorum. Entium rationis
 naturam, cum negationes & pri-
 vationes, nec non futura indu-
 ant; pro ut sub intellectus notio-
 nem cadunt, Entis etiam nomen
 in rerum natura vere existentis,
 merentur. In quantum itaque sunt
 hujusmodi entia, sub boni nomi-
 nis considerationem veniunt. Di-
 stinctio præterea *materialis* à *for-*
mali omnem tollit controversiam.
 Neque præcise ad voluntatis libera-
 tatem

tatem requiritur indifferentia talis,
quæ consistat in τῷ bene & τῷ
male agere, cum & Deus agens
liberrimum istam non habeat in-
differentiam, quia nunquam ille
male agere potest, quod servitu-
tem magis, quam libertatem sub-
infert; sed sufficit indifferentia
ad actus bonos exercendos & ob-
jecta bona eligenda.

§. V.

Actuum voluntatis immanen-
tium & transeuntium discrimen
redditur evidens, tum (a.) ratio-
ne ultimæ efficientiæ; quæ in a-
ctu elicito sola est voluntas, quo
persuadendo flectit appetitum sen-
sitivum, eumque obsequentem ha-
bet. In imperato, alia facultas
interveniens, siquidem voluntas non
semper per se id quod vult, exse-
qui valet, sed opus habet mini-
sterio inferiorum facultatum, quæ
appellantur animæ rationalis facul-
tates

rates secundariæ, maximeqve cer-
 nuntur in loqvela, risu & sermo-
 ne. (β.) Ratione subjecti, quod a-
 ctus immanens est ipsa voluntas, à
 qua producitur, in qua manet,
 quasi reflexus. Transiens vero, si-
 ve imperatus, facultas alia à vo-
 luntate distincta. *Ratione autem*
essentiæ, unam esse voluntatem suā
 radiat luce. Ut enim intelligere
 intellectus, sic velle voluntatis est:
 adeo ut salva manente essentia,
 non possit non velle. Differunt
 itaqve sententiæ hæ: voluntatem
 non posse non velle: & volunta-
 tem cogi velle. Prius voluntatis
 seqvitur naturam: posterioris na-
 tura voluntatis nescia, illo inter-
 num, hoc externum comitante
 principium. *Ratione actuum oppo-*
sitorum, tribus comprehenditur vo-
 cibus; quarum prima est appro-
 bationis simplicis; secunda repu-
 gnantia; ultima vero media &
 mixta. Qvorum actuum diversita-
 tem

tem agnoscunt philosophi, ubi inter spontaneum, voluntarium & involuntarium aut violentum, quidam admittunt intermedium, ideoque velle, non velle & nolle, si bi invicem discriminari; vocantes ejusmodi actus mixtos, qui neq; simpliciter voluntarii, neque prorsus inviti; sed ex voluntario & in voluntario, quasi mixti. Ubi nec simplex approbatio, nec simplex repugnantia, sed invita permissio.

§. VI.

Inquendum jam est a quo voluntas deducitur in actum? intellectum primam voluntatis causam moventem; invito Scaligero: censem communiter, Scholæ reformatæ Doctores; afferentes voluntatem, ad actum suum determinari a judicio intellectus, ita ut voluntatis libertas, ad intellectus ductum sit constricta determinari. Adeoque omnis volitio-
nis initium, Verum ex non vo-
lenis

lente, ubi sit volens, non nisi à
 se sola, est enim primum movens
 in regno animæ, licet aliqua co-
 gnitio objecti præcedat, maximeq[ue]
 necessaria sit ad voluntatis actum
 excitandum, quæ potius *conditio*
sine qua non, quam principium
 & causa motus dici meretur.
 Non obstante: eligendo vel re-
 pudiando objecti naturam, ab intel-
 lectus svasione vel dissensione,
 nec non ab appetitus inclinatione
 debet prærequiri. Qui non *Phy-*
sice efficienter concurrunt, actus-
 ve voluntatis producunt; sed mo-
 raliter objectum proponunt, ut sub
 ratione bonitatis & convenientiæ
 sistatur eligendum. Quæ longè
 distinctissima sunt. Non enim in-
 tellectus dum dicitur movere, cau-
 sa est actuum voluntatis, siqui-
 dem actus isti, volitio, electio,
 &c. sunt à sola voluntate effi-
 ciente, & non ab apprehensio-
 ne objecti, quamquam ea præreqvi-
 ritur,

ritur, ut actus voluntatis non sit,
 nisi ea præsupposita vel existente.
Qvia voluntas sine tali demonstra-
 tiva propositione & practica mo-
 tione, non inclinatur ad appre-
 tendum & eligendum, nisi sub
 ratione convenientiæ & bonitatis
 qvid fuerit exhibitum. Hoc animad-
 verti aliquando potest in Brutis,
 ubi facultas imaginativa non so-
 lum speculative, qvomodo cognos-
 cit objectum, & appetitui simplici-
 ter illud proponit, sed insuper suo
 modo judicat objectum vel esse bo-
 num & appetendum, vel malum &
 evitandum; adeoque vel sub ra-
 tione convenientiæ iuadet, vel di-
 sconvenientiæ dissuadet. Hoc ta-
 men voluntatem non determi-
 nat ad persecutionem vel fugam.
 Licetque voluntas sæpe numero ab
 obsequio intellectus revocetur per
 inordinatos affectus, non tamen
 per se, eorundem imperio subjacet;
 Sed vel interius detestatur, quod

mutare nequit, in inferioribus fa-
cilitatibus vel corrupta & depravata
consentit, & libere jucundum, præ
henesto eligit. Hæc Scaliger: *Verior*
est sententia voluntatem per se, à se
ipsa ad agendum excitari, hoc est,
internum habere principium, cuius
wi ipsa ex se, quaque natura com-
movetur ad ea, que sunt expetenda
vel fugienda, hoc est ad velle & nolle,
quo principio innato, & ipsam quan-
doque mentem ad intelligendum, &
seipsum ad proprias actiones eden-
das incitat. itaque dicemus & vere
& ex omnium genium consensu, volo
velle: hic enim est actus à suo prin-
cípio in se desinens. Ea propter ut
concludamus ipsum velle & nolle,
ex proprio voluntatis principio,
propriaque natura & efficientia pro-
manare. quo quidem in se prin-
cípio, ipsum quandoque intellectum,
& seipsum, ad proprias edendas, a-
ctiones iicit.

Voluntatem ad suos actus exercendos, movere etiam reliquas animæ rationalis potentias, suapte naturâ ejus imperio subditas; ut & appetitum sensitivum & loco motivam; cum ipsâ probatur experientia quandoquidem contemplamur, loco movemur, præstamusque cætera id genus mutua, *tum ratione;* principium etenim motionis cujusque potentiae elicetur ab objecto boso, in Communi considerato, ad quod etiam omnes potentiae, per suos actus tendunt. Conimb. Disput. IV. de tribus principiis humatorum actuum. Voluntatis autem jugo solutæ sunt, potentiae naturales, sensus externi, & respiratio. utpore fulmina oculos, sapores palatum sufficientes, voluntate s̄pissime invita. Eadem ratio est sensuum internorum sensu communi dijudicante receptas species memoriaz impressas. Phantasia efficiente

efficiente somnia. quæ omnia avertire, nostræ non est voluntatis.

S. VIII.

Cum voluntate, indissolubili nexu cohæret libertas, videlicet quod in utramque partem inclinare potest, que est vel contradictionis & exercitii, quâ unum objectum: positisque omnibus requisitis ad agendum, voluntatis facultas est ita velle, ut suum actum etiam possit suspendere adeoque non velle. vel contrarie-
tatis & specificationis, quâ ex duobus objectis positis, liberè eligitur unum, negligitur alterum. Cumque potentiaz potentia non detur, libertatem propterea à voluntate, reali discrimine non sejungimus, nec actum ab anima transiuntem dicimus, sed potius rem permanen-
tem, & potentiam agendi vel non agendi liberam, bonum eligendi, malum averstandi. Unde apparet vo-
luntatem, & libertatem voluntatis, realiter inter se non distingvi; cum voluntas, à corpore loquendo, ejus-

que libertas; unum sint, unamque originis suæ habeant Causam; Licet opera mentis nostræ concipi possit voluntas ut compositum ex subjecto & adjuncto, ex suo materiali & formali; illud ut potentia, hoc potentia libertas. Neque actiones quædam à potentia libera, quædam à non libera provincent; sed omnes unius liberæ matris, nempè voluntatis liberæ sunt filiæ. Sciendum itaque differit B. D. Mcilnerus. Quod quo ad seipsum libertas sit ipsa voluntas, quæ cum suat ab anima hominis, ob id semper & in omni statu homini inest, istoque respectu, homo perpetuo liber est, & eandem liberae essentiam habet, quia voluntas ipsa, quatenus est potentia libera, essentia-liter non immutatur, licet accidentaliter vel depravetur vel perficiatur.

§. IX.

Inter doctos, omnibus fere temporibus, de libertate voluntatis humanæ

manæ; contentiones extiterunt maxi-
 mæ, nonnullis obvertentibus; non
 liberam, sed potius servam esse
 voluntatem nostram: partim propter
 vitiosum habitum, per primorum
 parentum peccatum introductum,
 Partim omnia sublunaria, Dei immu-
 tabili decreto regi, ideoque volun-
 tatis nostræ actus minime esse libe-
 ros. Cum tamen præter experien-
 tiæ, quæ docet nos ita exercere
 nostros actus, ut possimus etiam eos
 non exercere, quod est libere age-
 re: nec non Testimonium Sacra
 scripturar. Act. 5. v. 4. quibus po-
 tenter conferruminata necessita-
 tis Stoicæ catena rumpitur, libertas
 que voluntatis, argumentis adstrui-
 tur ponderosis: στια voluntatis di-
 stingvenda est ab operationibus, illa
 indicat voluntatem in agendo li-
 beram, hominemque non volunta-
 te, sed voluntatis sanitatem privatum
 esse; Hæ ipsum actum libere su-
 ceptum circa electionem rerum.
 Quæ libertas non posset à no-
 bis

bis eripi , nisi ipsam voluntatem
imo ipsam animam velis deperditam.
Verum operationes ejus , ratione
Adamitici lapsus , servituti & cor-
ruptioni obnoxiae sunt factae .
Qualis servitus accidentalis , vo-
luntatem ad malum inclinans , sub
ratione boni , libertatem non tol-
lit essentialem ; sed in omnibus
hominis statibus , semper manet
eadem , manet soluta & libera ;
imo nulla prorsus necessitate ad-
stricta ad aliquid agendum ; illa
cum velit & eligat sine ulla coa-
ctione , objectum ab intellectu
apprehensum .

§. X.

Libertatem vel solius intellec-
tus , vel solius voluntatis , aut ab
utraqve potentia simul , aut etiam
his pari dignitate a potentia di-
stincta emanare , necesse est . Di-
stinctam esse , nullus distinctus ar-
guit actus ab intellectus & volun-
tatis operatione diversus , tertiae-
que potentiae proprius : is enim
hujus

hujus potentiae index est idemque
 certissimus. Nec in solo intelle-
 ctu sita est; hic enim dupliciti pre-
 mitur onere, (a.) quo ad speciem
 actus sui, natura enim sua deter-
 minatus est, ut rei, quam agno-
 scit, libere assentiri, aut ab ea-
 dem dissentire nequeat: sed deter-
 minatus est ad assentiendum vero
 & dissentendum a falso; ubi autem
 neutram rationum harum in objecto,
 intellectus percipit, neutrum elice-
 re potest actum. Objectum cum
 sit perspicuum & evidens, intelle-
 ctus necessario assentitur si verum,
 dissentit si falsum: vel penitus qvan-
 do obscurum, assensum & dissensum
 negat, eo quod objectum non repræ-
 sentetur, haud secus ac nulla fit vi-
 sio, remoto lumine: sic libere nun-
 quam dicimur intelligere, nisi id quod
 velimus intelligamus: nec libertas
 intellectui formaliter competit, sed
 soli voluntati, per quam intellectus
 libere movemur de loco in locum,
 voluntate motum diriengte & impe-
 rante

rante. (B.) Quoad exercitium actuum, apprehensionem, judicium ac discursum libertas formalis intellectui non competit; positis namque omnibus ad apprehendendum reqvitis, potentia intellectiva necessario, non magis rem non cognoscit, quam sensitiva facultas, organis bene dispositis, datisque mediis legitimis, suum non administrat manus. Intellectus cum dependeat ab objecto, intelligibiles recipiendo species; quales voluntas non recipit, sed manet in se indifferens. Patet hinc, nec in solo intellectu, adeoque nec in potentia utraqve simul sitam esse libertatem; sed in sola voluntate; tum ratione objecti materialis, proposita ipsi cum fuerint duo objecta, bonum & malum, quorum neutri necessario iedulget, sed circa utrumque versatur pro libitu. Tum ratione objecti formalis, permisum namque est voluntati bonum testari vel secus, malum fugere vel sequi, hinc ipsi libertatem adjudicat pagina sacra. Sit ideoque libera, libereq; hic claudimus.